(3)

Stephanus, Dei gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Massoviæ Samogitiæ Kijoviæ Volhiniæ Podlachiæ Livoniæ Princeps Transsylvaniæ. Significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniversis et singulis. Cum Generosi Adamj Mierzejewski nostri peditum Perna viens Rothmagistri tam constans tamque perpetuum sit in re militarj studium, vt omnem pene ætatem obeundis militaribus munijs contriverit et quemadmodum Serenis prædecessoribus nostris, ita et nobis fidem industriam ac dexteritatem suam testatam fecerit. Pro ea qua in omnes de Republica benemeritos sumus viros liberalitate ac munificentia, faciendum nobis esse putavimus, ut ornandæ augendæque virtutis suæ causa ipsi in Livonia ex bonis nobilitaribus caducis quinque cum dimidio vncos agri, quos Otto ab Allen possiderat in Territorio Rujenensi sitos daremus, donaremus et conferremus prout damus, donamus et conferimus præsentibus per eum ipsiusque veros ac legitimos succesores masculos, ex lumbis suis procreandos et descendentes, cum eorum pertinentijs attinentijs, fructibus, redditibus, proventibus, vsibus, obventionibus, commodisque omnibus et singulis nihil prorsus excipiendo, nec pro nobis vel quopiam alio reservand. iure feudi tenend. habend. possiden. ac vtifruen. Non tamen per eum ipsiusve successores, dand. donandos vendendos vel quovismodo alien. absque nro Serenorumque successorum nostrorum consensu. De quibus agri vncis prædictus Adamus Mierzeiewski cum succes soribus suis nullos census pendet neque onera feret. Sed eorum ratione qualibet necessitate bellica servitium militare cum tot equis quot secundum generalem in Livonia factam ordinationem Nobilitas reliqua pro quantitate fundi habere debet, ad defendendos illius Provinciæ fines et ipse et successores ipsius præstare debebunt. Deficiente vero prole et Stirpe ipsius Masculina, ijdem quinque cum dimidio Vnci ad nos successoresve nostros pleno iure redibunt ac devolventur. Juribus nostris Regalibus ac communis Reipublicæ legibus ibidem manentibus salvis. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscriptas, consignari iussimus. Datum Varsoviæ die quarta Mensis Martij. Anno Dni Millesimo quingentesimo Octogesimo Quinto. Regni vero nostro Anno Nono.

Stephanus Rex.

Sigill. Regni Poloniæ pens.

Sigill. Magni Duc. Lithvaniæ pens.

Revisa in Commissione Generali
Regni Magnique Ducatus Lithvaniæ
Dorpati Anno 1599:

L. Eyczocki

Jos. Dem: Solik(y).
archiepus. Leopold:

Petrus Ostrowski
de ostrawa

Matthias Lemik C. D.

Joannes Wilizirki

Från eplacerade handl.
Extranea 193[illegible]
Adam Mierziewski
Extr. (Polen)

Mandatum Regium ad
Mag. Dmn Capit. Pernoviensem
intromissionis Domus Civi
tatis eiusdem.

No. 2